

# Franckesche Stiftungen zu Halle

**Ad Solennem Magistrorum XXXVII Renunciationem, D. VIII  
Februarii, Anno Salutis MDCCIII, Facultatis Philosophicæ  
Lipsiensis Decanus, Christophorus ...**

**Pfautz, Christoph**

**[Leipzig], [1703?]**

**VD18 90820460**

---

#### **Nutzungsbedingungen**

Die Digitalisate des Francke-Portals sind urheberrechtlich geschützt. Sie dürfen für wissenschaftliche und private Zwecke heruntergeladen und ausgedruckt werden. Vorhandene Herkunftsbezeichnungen dürfen dabei nicht entfernt werden.

Eine kommerzielle oder institutionelle Nutzung oder Veröffentlichung dieser Inhalte ist ohne vorheriges schriftliches Einverständnis des Studienzentrums August Hermann Francke der Franckeschen Stiftungen nicht gestattet, das ggf. auf weitere Institutionen als Rechteinhaber verweist. Für die Veröffentlichung der Digitalisate können gemäß der Gebührenordnung der Franckeschen Stiftungen Entgelte erhoben werden.


Zur Erteilung einer Veröffentlichungsgenehmigung wenden Sie sich bitte an die Leiterin des Studienzentrums, Frau Dr. Britta Klosterberg, Franckeplatz 1, Haus 22-24, 06110 Halle (studienzentrum@francke-halle.de)

#### **Terms of use**

All digital documents of the Francke-Portal are protected by copyright. They may be downloaded and printed only for non-commercial educational, research and private purposes. Attached provenance marks may not be removed.

Commercial or institutional use or publication of these digital documents in printed or digital form is not allowed without obtaining prior written permission by the Study Center August Hermann Francke of the Francke Foundations which can refer to other institutions as right holders. If digital documents are published, the Study Center is entitled to charge a fee in accordance with the scale of charges of the Francke Foundations.

For reproduction requests and permissions, please contact the head of the Study Center, Frau Dr. Britta Klosterberg, Franckeplatz 1, Haus 22-24, 06110 Halle (studienzentrum@francke-halle.de)



1796:7

1. B. Viotti de demonstratione libri 2.  
Brunf. 1685.
2. D. Herr Alexanderi Röell dissu-  
tatio metaphysica. Traj ad Aken 1713.
3. Disputatio philos: de Ente reali  
Wittenb. 1869.
4. M. Casp. Sommer onophagiam filesi-  
onum refellit Wittenb. 1877.
5. D. ph. de libertate voluntatis Ital. 1700.
6. Diſſ: de anno climacterico magno.  
Guelpherbyti 1898.
7. Diſſ: de epiftola Dei ad genus humanaum  
Basel 1578.
8. H. Freyer von Romanen Lyra 1730.
9. Idem de libertate academica  
1730.
10. S. Gottl. Heineccius de praecipua  
discentium cura 1714.
11. Joh. Bapt. Zafarri oratio de victoria  
Christianorum.

12. M. J. Hoffmann dissertatione  
de incendiis. Longo. Salisiae 1689.
13. Io. Fr. Dicdrei introductio in p. 1. phi-  
losoph. moralis 1700.
14. P. Sch. de prudentia scholastica.
15. Dito.
16. Dito. de migrationibus vtiliorum.
17. Disfert. de norma actionum.
18. H. Freyeri programma 1720.
19. Pietas erga Serenissimos.
20. Disf. philosophico-theologica de  
anima seu mente humana  
Hal. 1712.
21. Dr. Joh. Langens philosoph. fragm.

161

AD  
SOLENNEM  
**MAGISTRORUM**  
XXXVII  
RENUNCIATIONEM,  
*D. VIII FEBRUARII,*  
*ANNO SALUTIS MDCCIII,*  
FACULTATIS PHILOSOPHICÆ  
LIPSIENSIS  
**DECANUS,**  
**CHRISTOPHORUS PFAUZ,**  
P. P.  
OFFICIOSE DE CENTERQUE  
INVITAT.

*Mauritius academie Friderician*



Alendarii Juliani rationes, post Reformationem Gregorianam, Principibus & Rebus publicis Christianis, Aulae Ecclesiæque Romanae placita aspernantibus, tantum non universis, anni vices haec tenus exactas fuisse; a Protestantibus autem Imperii Romani Statibus huic mori, ante tres & quod excurrit annos, novo fastorum civilium Schemate introducto, nuncium tandem missum, in recenti totius Europæ versatur memoria.

Exitit tum temporis *Nonnemo*, qui scriptis ad Inclytum par Theologorum nostræ Confessionis, anno 1699, vertente, literis, abrogationem Calendarij Juliani Statibus Evangelicis omnino disuadendam enixe contenderet: Causatus, præcipuus Astronomorum, in calculo motus Solis anni gravissime lapsos; indeque a Gregorio Pontifice, sublata præcisa anni Juliani forma, novam temere conditam; cui utique præstet illa; quamque, levi tantum Dominicalium Paschalium, in certis quibusdam annis, adhibita correctione, deinceps retinere longe sit æquissimum.

Quanquam vero Procerum memoratorum consiliis eo tempore jam adultis, statimque insecuræ Fastorum recens emendatorum publicationi, ejusmodi patènesi intercedere intempestivum fuisset; ejusdemque fundamentis non prius exactissime exploratis, temerarium; nunc autem, reponro non integra, inanis censi possit de hoc argumento disceptatio: quia tamen pronunciato *Autoris* præcipuus Astronomiæ hodierne cardo petitur; quodque a summis Astronomis juxta ac Chronologis constanter haec tenus assertum, indubitateque veritatis habitum est; enorū & pudenda falsitatis arguitur; operæ certe nonnullum erit pretium, sententiæ ejus momenta excutere, pondusque experiri.

Ultut

Ut ut autem non uno nomine Astrorum consulti *Autori* vapulent: impingit enim iisdem quadruplicē ignorantiam: discriminis, inter annū Nabonassareum, Hipparcheum Ptolemaicumque, & Ægyptio Aetiacum; Tekuphas Astronomicas & Civiles, Æquinoctium Astronomicum & Civile seu Julianum; veri denique sensus Cyclorum Lunæ & terminorum Paschalium, circa tempora Nicenī Concilii: nobis tamen impresestiarum sufficiet, ea, quæ circa duplex Æquinoctium in Astronomos contorta sunt, sub examinis qualisque incudem revocare.

Elenchus itaque *Autoris* summatim eo redit: I, Æquinoctium Civile seu Julianum juxta Caii Julii Cesaris institutionem contingere, Sole octauo Arietis gradum tenente: Ovidio, Manilio, Columella, Plinio, Ptolemæo, Capella & Venerabili Beda disertis verbis id testantibus: atque cum idem temporibus Cesaris (prout in ejus Calendario consignatum reperiatur) in 25. aut 24. Martii inciderit, II, Ingressum Solis in Arietem, hoc est Æquinoctium Astronomicum, necessario octiduo ante, nimirum 16. Martii evenisse; in quem ipsum diem illud etiam, III, Ptolemæus, libello significationis stellarum inerrantium, anno Christi 140, sequentibus verbis conjecterit: ante diem 17. Kal. Aprilis (juxta Autorem die 16 Martii) Sol in Ariete, Favonius late spirat, Ciconia mare transmittit. At vero si Cesaris temporibus Sol ad principium Arietis 16. Martii appulerit, constare IV, Æquinoctium inde ad nostram etatem, spacio 170 annorum, non 15 aut 18, sed ad summum 6 dies, a 16 sc. ad 10 Martii processisse; quintae etiam Æquinoctiorum anticipatio V, sequatur ex Novi Luniorum & Pleni Luniorum anticipacione. Tot enim, non pluribus, diebus Æquinoctiales dies anticipare; quot illa ex pristinis sedibus in precedentia migraverint. Liquere autem ex binis Eclipsibus Solis, quarum priorem Cedrenus, & ex eo Hermannus Contractus, in opere Urslixi p. 261, nec non Calvisius, anno Christi 346, 10 anno Constantii, sexto Dæsi aut Junii, triborio a Solis ortu, aureo numero V existente, corrigisse memorent; posterior vero, eodem Cyli Lunaris numero, annis abinde 1330, Christi 1676, d. <sup>1</sup> <sub>11</sub> Junii, Hora X antemeridiana inse- cuta sit, Sole utrinque in 21 gr. Gem. constituto, prout ex Argoli & Hekeri Ephemeridibus, Pliniique & Ptolemæi observationibus manifestū sit: lique, inquit, Æquinoctia a temporibus Nicenī Concilii bucasque ne s quidem solidos dies anticipasse. Unde necessario consequatur; Gregorianum Lunarem, & huic innixum festorum calculum, Calendario Veteri non, quam

decebant, medelam, sed vitium attulisse damnosissimum. VI, *Æquinoctium Ecclesiasticum*, Terminosque Paschales, juxta sensum enneadecaeterici Canonis Paschalis Nicæni, convenire cum *Æquinoctio Civili Juliano* in 8 Arietis gradu fundato, minime introitu Solis in Arietem; qui eo tempore iacto, ne utiquam vero 21mo Martii, quippe quo Sol in bissextilibus (uti 22do in vulgaribus) annis ad 8 gradum dicti signi progressus fuerit, acciderit. Toto itaque celo aberrasse, Albategnium, Alfonsinos, Copernicu, Tychonem, Lilium, Weigelium, omnesque alios, qui Solem Tempore Nicæni Concilii primum gradum Arietis 21 Martii occupasse, atque ob intercalationem justo frequentiorem *Æquinoctium* a 21 ad 11 aut 10 Martii prorepisse crediderint.

Hæc ad sensum *Autoris ex Epistola*, lingua nobis vernacula scripta, decerpsumus: quæ quam valido nitantur tibicine, quamque saniori Astronomiæ & Historiæ concinuant, ex utriusque placitis & effatis, levioribus παροχάσι, quæ hinc inde animadvertisimus, omissis, pro virili probatum ibimus. Quia vero non minimū hujus controversiæ pendet, cum a quantitate anni Solaris Tropici ac Juliani, & utriusque differentia; tum *Æquinoctiorum Astronomicorum* controversorum, puta Juliani & Nicæni, justa, & cum accuratis observationibus Astronomorum, si deque historica, amico nexus conspirante determinatione: earum explicatio merito nobis ingressum parare debet ad propositam disputationem. Et anni quidem Juliani magnitudo in vulgus notior est, quam ut vel verbo hic nominari mereatur. Eundem vero an Solari Tropico (h. e. temporis reversus hujus sideris ad idem cœli punctum immobile, puta cardinem *Æquinoctii* &c.) æqualem esse Cesar putaverit; aut cujus opera idem in hoc negotio usus est, Sosigenes Astronomus Alexandrinus; an, quod plus seculo ante ipsum jam Hipparchus animadvertisit, hunc aliquantillo minorem compertum habuerit; utriusque vero differentiam ob civiles Calendarii rationes, infra curam habuerit, parum est ad rem nostram: discriminis tamen non perinde habendum, postera secula cœli scrutatores sensim, at serio admonuere. *Æquinoctiis enim, lapsu temporum, et statis sibi terminis paulatim emotis, difformitatem anni Juliani a Solari Tropico, & cardines tempestatum anni luxare, & quicquid ad leges motuum celestium quadantenus fixum, certisque in anno Civili limitibus circumscripsum erat, extra fines debitos sistere, sat superque testatum fecit.* Ut vero, quod maximæ necessitatis erat, de hac

hac anomalia exquisitus constaret; observationes Æquinoctiorum recentissime habitas, cum antiquissimis; has illasque etiam cum intermediorum temporum, summi contenderunt Astronomi: ut æquilibra-  
tis diversis eorum intervallis, anno Tropico debita sua quantitas, basis  
utique totius Astronomiae, rite statueretur. Quæ in hanc rem, solertia  
insignium Mathematicorum suscepta & actitata sint, referre non est hu-  
jus plagulae: cum unanimi jam celeberrimorum hujus ævi Astro-  
nomorum consensu ratum sit, Annum Tropicum a Juliano scrupulis ho-  
rariis II quam proxime deficere, a) hoc est 365 Dierum 5 Hor. 49 esse.  
*Autori* vero, aut aliis, si forte hoc nondum persuasum sit, consultis, *Ric-  
cioli Almagesto*, l. 3, c. 14 & 15, ejusdemque *Astronomia Reformata*, l. 1,  
primis 4 capitibus; *Petavii Doct. temporum*, P. 1, l. 4, c. 25 & sqq.; *De  
Chales Mundi mathem. Astron.* l. 2, prop. 25, ut alios taceamus, omnem  
hæfitationem abunde exemptum iri, nullatenus ambigimus. Huic Astro-  
nomiae senioris decreto quæ non consonant, adversa cum ipsa veritate  
fronte concurrunt; ad idem hoc vero tanquam Lydium lapidem ex-  
aminanda omnino sunt, quæ de Æquinoctii hujus illiusve vero medioque  
tempore enunciantur.

Ex hac jam περὶ γῆν τοις Æquinoctiorum necessitate irrefragabili cal-  
culi consequitur; si verum Æquinoctiū vernum, ex. gr. anno 1587 (qui sex-  
tus est a recepto Calendario Gregoriano) prout *Tycho* b) observavit, Mar-  
tii X, H. 17. 9 contigit; & consequenter medium (ob prosthaphæresin

A 3 motus

a) Collegit quidem *Ricciolus Astron. Reform.* l. 1, c. 2, ex duorum Æquinoctiorum, in-  
tervallo annorum 1812 distantia, Temporibus, anticipationem Æquinoctiorū an-  
nuam 11. 12; adeoque annum Tropicum, 365 D. 5 H. 48. 48: sed cum hæc  
12, intra spatiū 1812 annorum, tantum conficiant 6 H. 2. 24, quæ in hoc passus  
ubi de solidis diebus controvertitur, negligi secure possint; cum celeberrimi-  
mis Viris, *Casino*, *Petavio*, *de Chales* (a quibus parum absunt, *Scaliger*, apud  
*Petavium doct. temp.* P. 1, p. 371, *Keplerus*, *Lansbergius*, *Bullialdus*, *VVenedeli-*  
*nus*; misis 12, in II acqueivimus.

b) *Tom. I Progymn.* p. 13; sed calculo a *Ricciolo l. 1 Astron. Reformata*, p. 12, b cor-  
recto. *Tycho* enim tantum habet 14 H. 56.

motus Solaris i, 57 circiter c) huicque cōpetens tempus i D. 23 H. 29)  
12 Martii, 16 H. 38; idem utrumque anno primo Aera Julianæ, ob intervallū  
1632 annorū, eique debitam anticipationem, 12 D, 11 H. 12 celebrari debuit  
Martii 23, H. 4. 21 at medium, D. 25, H. 3.50, cui diei, nempe VIII Kal. Apr.  
Julianum Cal. suum Äquinoctium affixit. d) Supposito porro, A. C. 325  
celebratum esse Concilium Nicænum: cum inter eundem, & proxime  
assumptum *Tychonicum* anni fluxerint 1262, quibus respondet anticipatio  
Äquinoctiorum 9 D. 15 H. 22; oportuit tunc verum Äquinoctium inci-  
disse;

- c) In Anomalia videlicet 8 Sign. 21 circiter. Notari autem velimus, in hoc passu  
minutias calculi insuper nobis haberi, ob causam modo indicatam.
- d) Plurimi quidem doctorum virorum hoc Äquinoctium verum fuisse conden-  
derunt; indeque a Casaris temporibus ad Gregorianam castigationem Äquino-  
ctiorum anticipationem 15 dierum statuere non dubitarunt. Sed hos accurate  
confutavit Petavius, *Doctr. Temp. p. 1, l. 4, c. 27.* Accessit tamen illis ante ali-  
quot annos Doctissimus VVasmuth, in scriptis, *Operi suo Chronologico*, quod sub  
manibus habebat, præmissis, questusque est in literis, ad nos d. 12 Aug. 1686  
datis, Astronomos Sosigenianum Äquinoctium (verum nempe) ad 23 Martii  
detortum ivisse; cum historica id fides fistat in die 25to, utique observatum,  
adeoque visum & verum. Sed scilicet hæc opinio favebat quantitatî anni tro-  
pici veri VVasmuthiani D. 365, H. 5. 37. 9. Cui cum nos, judicium nostrum  
qualecumque de hypothesis suis ab ipso rogati, inter alia obiecsemus: ex  
hac anni Tropici contractione inevitabiliter sequi; aut Äquinoctium verum  
tempore nostro ad 25um Februarii figendum, si idem Concilii Nicæni tem-  
pore observatum sit die 21 Martij; aut si nostra arata, uti re vera accidit, d. 9 Mart.  
contingat, sub Nicænum Conventum oportuisse d. 2 Aprilis evenisse. Cui  
~~arbitrii~~ laudatus Vir quidem respondit, sed quod (ipse forte nobiscum)  
doluiimus, nodum neutiquam dissolvit. Meminisse autem Vir multa Lectionis  
poterat: *Hipparchum*, toto ante Sosigenem 8eculo, verum Äquinoctium diebus  
23 Martii & 24; *Ptolemaum* vero, anno Christi 140, 22 Martii observasse. Vide-  
atur Petavius *P. 1, doctr. Temp. p. 365, 368*, quæ omnino jugulum petunt af-  
ferti VVasmuthiani. Potuit autem quæ sententia est Petavi, cit. *Op. P. 1, p. 83,*  
Sosigenes, qui an ipse Solstitium aut Äquinoctium animadverterit, nemini com-  
pertum esse, cit. *Oper. p. 314*, alibique inculcat; Äquinoctium medium, ob con-  
stantiam & æquabilitatem suam, Civilis anni rationibus accommodatius ha-  
bere, eaque propter in Fastis ad notare: quem cæteroquin in definiendis  
annis Cardinibus æquibasur, non adhibuisse, vel id argumento est; quod iis-  
dem

disse in 20 & 21, propter anomaliam excessus anni Juliani supra solidos dies. Adversus hæc *Autor* argumentis supra indicatis acerrime, ac velut extensis contra torrentem brachiis, nititur; quo robore, quove effectu, ex sequentibus constabit.

Quantum est ad autoritates Scriptorum n. I Elenchi in partes ad vocatorum, ex uno omnes fonte promanaſte facile concesſerimus: vim tamen, ad firmandum ea, quæ *Autor* intendit, non parem afferre; imo fruſtra plane Sententiæ ſuæ paradoxæ tuendæ obtendi, mox palam fiet. Nimirum ex monumentis Priseorum quamplurimis conſtat, Cardines annorum ab iis diversis temporibus in 15, 12, 10, 8, 6, 4 gradu ſeu parte signorum ſuorum antiquitus collocatos; eamque opinionem, quæ eodem in 8va parte conſtituit, omnium diutissime perſtitit: ut, si *Petravio* e) & *Bucherio* f) fides, vix e vulgi aut rufſicorum animis potuerit extorqueri. Inter præcones autem ejusdem ex citatis autoribus fuſſe *Plinium*, g) *Columellam*, h) *Marianum Capellam*, i) & ex parte *Ovidium*, ſed obſcurius, k) dubio caret. At *Manilius* l) non ex ſua ſententia, ſed aliorum loquitur; nec m) 8vam ſolum, ſed quod notandum, pri- mā etiam partem nominat. *Bella* verò m) varius eſt, nec ſibi ſatis conſtare videtur. *Prolemañm* ejus ſententiae finit, ex genuinis ejus scriptis tantum abeft ut dici poſſit, ut contrarium ex iisdem planiſſime conſtet. Nam quod *Autor* ad libellum de ſignificatione inerrantium stellarum, ſummo huic Astronomo vulgo tributum, provocat, nullius eſt momenti, & de hoc illoque, infra diſpicietur. Qua ratione autem

V-

dem promiſue diem præſtituit VIII Kalendarum; quod, poſto Aequinoctium Vernum 15 Martii tum contigisse, cæteris veris Cardinibus non æque bene, ac mediis conſonat; uti intervalla eorum attingentibus liquidum eſt. Ut taceamus, *Sofigenem* in hoc negotio definiendo ſecum iſpum conſlictatum: reſte enim *Plinto*, l. 18, c. 25, trinis commentationibus, quanquam diligentior eſſet cap- teris, non ceſſabat tamen addubitare, ipſe ſeſe corrigendo.

e) *Uranolog. Differt.* l. 2, c. 4.

f) *De doctrina temp.* p. 344.

g) *Hift natur.* l. 2, c. 19, & 18, c. 25.

h) *Rei rustica* l. 10, c. 14;

i) l. 8, de nuptiis Philologiae & Mercurij.

k) l. 3. *Fastrorum*.

l) *Atron* l. 3 c. 9.

m) de ratione temp. c. 7. Confer *de natura rerum*, c. 6, 29, 37.

Veteres Scriptores de octavis his partibus intelligendi sunt, diu est, quod Astronomis recentioribus crucem fixit: esetque res omnino peculiari commentatione dignissima, nisi quæ in hanc rem cum ratione dici queunt, omnia jam exhaustissent, profundæ indaginis & eruditionis vir, *Dionysius Petavius*, tum in stupendo *Opere doctrinae temporum*; tum, quod *Auctarium ejusdem esse voluit, Uranologio suo*; n) quæ si inspecta fuissent *Autori*, eum sententiam suam vel non amplexurum, vel protinus mutaturum fuisse persualissimi sumus. Summa autem doctrinæ *Petaviane* eo credit: duobus omnino fieri modis potuisse, ut ab antiquis mathematicis, quorum tamen plerosque secus sensisse autor sit *Hipparchus*, Cardines alibi, quam in ipsis signorum exordiis constituti fuerint. Vel enim eos ex arte & judicio ita pronunciasse; vel cum de exactiore Cardinum situ aliter existimarent, populorum usibus ac sensibus alterum illud Cardinum genus induisse. Illud quidem si sit: fieri potuisse, ut ad exemplum Chaldaeorum & Ægyptiorum insignem quampiam in celo stellam notando, ab ejus emersione primum dodecatemorium in Æquinoctiali circulo designarent: quo initio constituto, circuli deinceps totius anaphoricum tempus, horarum quatuor & viginti, duodecim in partes ex æquo diviserint. Quod si jam gradus Equatoris cum stella illa ascendens, præcesserit Equatoris & Eclipticæ intersectiōnem, h. e. vernum Cardinem Æquinoctii; Cardinis locum in medium aliquem dodecatemorii gradum necessario incisurum, & ab eo denominandum fuisse. Declarat id *Petavius*, exemplo luculento stellæ, quæ est in praecedenti cornu Arietis: hanc si Cardini Æquinoctii determinando contigisset adhiberi, ascensionem ejus obliquam 15 antecessuram fuisse Æquinoctium vernum eo tempore, quo apud Ægyptios admirabilis concursus phænomenorum accidisset; qui occasionem suppeditare potuerit, ut ab ea stella segmentorum Æquaoriorum divisio procederet, ipsumque Æquinoctium in signi 15to gradu eosque computaretur, usque dum μετάντωσις stellæ, seu ejus motus in consequentia, sensu perciperetur; ejusque ascensio obliqua, paucioribus pedetentim ac paucioribus gradibus Æquinoctium antevertendo, numerum gradus Signi Æqui-

no-

• ibi quidem, l. 14, c. 25, 27; hic, differt. l. 2, c. 3, 4, 5; l. 3, c. 1, 2; l. 6, c. 10. Sed nec contemnda sunt, quæ Ricciolus præbet, Alm. l. 3, c. 14, in scholis; Bucherius doct. temp. 4 pag. 344.

noctio præstituendi sensim minueret; unde poste a varietas illa sententi-  
arum super Cardinum momentis ortum traxerit. Atque idem obtinere pe-  
tuisse, si stellæ situm in Aequinoctiali, ope circuli per mundi polos centrum  
que stellæ trajecti, ascensionemque querere ejus rectam vice obliquæ substi-  
tuere visum fuisset. Nec enim minus institutum hoc quadraturum temporis  
concurrus illius eximii, antea indicati; sed hoc insuper etiam peculiare  
habitum fuisse, ut circa Nabonassari Epocham, o) octavam dodecate-  
morii partem Cardinibus designaret. Quæ octavae partis opinio cum ex  
omnibus diutissime ad posteros propagata sit: suspicionem non imme-  
rito faciat, exordii sui a nobilissima Æra Chaldaea assumti, & approba-  
tionis aliarum gentium subsecutæ. Ex hoc coepio processisse, ut ab ingressu  
Solis in signa, Aequin. & Solstitia distinguerentur: id quod apud *aurores*  
*supramemoratos*, *cir. locis*, & in Calendariis antiquis observare licet.  
Signorum initis haec methodo recte ante puncta cardinalia collocatis, i-  
dem in vulgi uso & sententia, ex errore & imperitia resedisse, ut initia  
Signorum, ipsasque sectiones, ante dies, Cardinum temporibus præstitutos,  
præpostere collocarent; adeo pertinaci obluctatione, ut ab artificibus op-  
tioni huic rudis populi indulgendum fuerit. p) Quæ altera ratio sit, quæ  
Astronomos, ut a proprio sensu, in gratiam vulgi deflecterent, coge-  
rit; quamque ipsum Soligenem tenuisse suspicatur Petavius: ex eius  
factis, addit, haussisse appareat *Oridium*, *Columellam*, *Plinium*, quæ con-  
sentanea communi huic persuasioni ab ipsis tradantur. Ut vero, ipso  
*Columella* invitante, q) Aequinoctia ad octavum Signorum gradum fixa,  
rustica salutat Petavius: r) ita non immerito eas, qui hoc Tempore, in  
tantum mathematicarum, artium luce, eadem hac sententia, que non nisi  
B ridi.

o) *I. 2 Enarrat. ad Arati & Eudoxi phænomena*, græce & latine a Petavio edita, &  
Uranologio suo inserta.

p) quorsum etiam tendit Riccioli citatum *supra Scholion*.

q) hujus confessio l. 10, c. 14, notari omnino hic meretur: *Nec me fallit*, inquit,  
Hipparchi ratio: quæ docet Solstitia & Aequinoctia non octavia, sed primis  
gradibus Signorum consici. Verum in hac ruris disciplina sequor nunc Meto-  
nis & Eudoxi, Antiquorumque fastos Astrologorum, qui sunt a prati publicis  
Sacrificiis; quæ & notior est ista vetus agricolis concepta opinio. Nec tamen  
Hipparchi subtilitas pinguioribus usq; ajunt rusticorum literis necessaria est.

r) *Doctr. Temp. P. 1, p. 696.*

*ridicule defendi posuit, implicari se patiantur, valde in Sphaericis tyrones esse pronuntiat. s)*

Jam quam parum *Noster* hac ægide tueri se queat, ex dictis luculentiter ostendi potest. Si enim priorem viam institisse, quibus ista Cardinum fixio placuit, existimemus; id quod, ob summam cum scitis Priseorum Astronomorum convenientiam, pulcherrimamque cum Epochâ, toto Orbe decantatissima, illisque maxime familiari, conspirationem, per octavum signorum gradum non ille, qui communis Äquatoris & Zodiaci interscione, quam utique in Äquatore fixam & immutabilem lege Astronomica esse convenit, in consequentia instituta computatione, hoc numero signatur, intelligi potest; sed ille Äquatoris, qui ab altero, quem vel Horizon, vel Colurus, eique succenturiatus circulus declinationis aliquis fecat, ipsamque stellam Äquinoccio constituendo electam transiit, tot gradibus in consequentia distat; hoc est ipse gradus, in intersectionem Äquatoris & Zodiaci Communem cadens, qui gradus est, in quo juxta Hipparchum, & complures Veterum Äquinoccia fieri, & recte quidem credebantur; qui que hodiernum cardinem Äquinoccii constituit. At sic inter oclavam partem signi, Civili, ut *Autor* vult, Äquinoccio dicatam, & principium Arietis seu Cardinem Astronomici Äquinoccii non nisi nomine disconvenit; quos tamen tanquam distinctissimos *Autor* pertinaciter propugnat, inque eo disidii sui a tota Astronomorum gente summam constituit. Sin ruditati colonorum, aut commodis nautarum, medicorumque &c. consulere visum fuit: decretum hoc intra Terminos legitimos coerceri debuit; nec pangendis Astrorum legibus, aut momentis temporum, alio ex fonte manantibus, ineptissime intercedere. Nec enim, in quaestione de anticipatione Äquinocciorum, quæri debuit aut potuit, quantum intervallum temporis intersit inter rusticum Veterum Äquinoccium, & sive verum sive medium hodiernum ad sancta Astronomia coelestis & constantis exactum; sed quantum ab invicem distent, v.c. initio Ärae Julianæ & Gregorianæ ejusdem generis & conditionis Äquinoccia. Illud si *Autor* ad momenta Astronomica, quale utique est Paschatis constitutio, definita usurpatum unquam fuisse sustinet, principium petit. Quid demū autem responsurus sit *Scaligero*, signorum octavas partes ab Äquinoccia libus

<sup>s)</sup> In *Salmasium l. 6, Urano. p. 246*, animadvertit, qui in Plinianis exercit. eo in septiarum processerat, ut Äquinoccia in octavis partibus etiamnum fieri asperceret.

libus punctis hoc est (si tempore metiri velis) ab VIII. Calendarum numeratas, in Calendas cum ipsis Aequinoctiis (haec enim in dictis partibus committi, secundum Autorem prisci artifices opinati sunt) conjicienti t) Et certe non cum Nostro nielius agi potuit, quam quod ab infestis tanti antagonistæ pugnis eum expedivit Petavius. u)

Non felicius fundata est *Autoris* sententia de Nicæni Aequinoctii die, seu quod eodem redit, Termino Paschali. Eum enim rationibus Civilis Aequinoctii Juliani, quas communisicitur Autor, quadrare, opinio est omni Antiquitati ignorata, & testimoniis indubuis Ecclesiasticorum illius ætatis scriptorum probatissimorum proscripta, & damnata. *Mensem Paschalem*, intra quem Pascha celebrari secundum Canones Concilii Nicæni oportebat, ab Aequinoctio, qui dies sit 12mus Kalendas Aprilis (en Terminum Paschalem citimum, ad diem 21 Aprilis statutum) non secundum vulgarem usum: sed secundis consuetudinem peritorum incipere, aperi- tissime Ambrosius Epist. 83, de celebritate Festi Paschatos scripta, pronun- ciat. Gemina huic habent, Episcoporum Alexandrinorum binorum Theophili Prologus ad Theodosium imperatorem; & Proterii Epistola; Cy- rilli etiam & Dionysii Exigui literæ: w) nec ullo probato teste confici potest, Terminum Paschalem ad diem 14um h. e. pridie Idus Martii collocatum esse. Ipse certe Beda, quem sibi patrocinari *Autor* existimat, partes ejus hic deserit, & XII Calendarū Aprilium die occursum Aequino-

B 2

cii

- t) ista enim diserte l. 4, de Emend. temporum, Cap. de anno Juliano, pronunciat.  
v) Ob ἀλογον hanc sententiam magnus hic literator, at infelix Geometra & A- stronomus (Petavius adderet & Chronologus) ob mirum confitendum dñorum suorum, pasim eidem huic in Op. doctr. Temporum, & præcipue differt. Ura- nolog l. 2, c. 3, 4, 5; l. 3, c. 2; l. 6, c. 10 traducitur.  
w) Extant partim apud Petavium, Appendix Tom. II, doctr. Temporum; & Bu- cherium, sub finem doctrina sue temporum, annexa. Tenor earum sic ha- bet: Tocophili: Hoc autem faciunt, quia Vernalis immutationis ignorant ini- um, quod XII Kal. Aprilis diem, juxta Solis cursum semper incurrit. Quod ante omnia observare nos conuenit. Proterii, ad Leonem Papam scripta: & mani- feste quidem secundum cursum Solis Die XXV mensis Phamenoth, qui est XII Kal. Aprilis, Aequinoctium esse cognoscitur. Cyrilli, ad Carthaginensem Synodum scripta: finit Sol cursum totius anni in XII Kal. Apr. Dionysii, ad annum §29 Christi: Vernalis Aequinoctii dies a XII Kal. Aprilia, die cunctorum Orienta- lium sententias, & maxime Egyptiorum; qui calculationis præcibus grari sunt specialiter annotatum.

*Eii notari jubet.* x) Quos alios, ab Ambrosiano limite Paschali diversos, refert Bucherius, *pref. Doctr. temporum*, p. XX, nulli eousque, quo *Autor* vult, pertingentes, particularium Ecclesiarum fuere, nec duravere. At vero *Ptolemeum* audimus, jam anno Christi 140, ad eoque duobus fere seculis ante Concilium Nicenum, *Æquinoctio* diem 16 Martii dixisse, in libello de significatione stellarum inerrantium. Enimvero si constaret, fœtum hunc esse Ptolemai, fidem fortassis aliquam conciliaret *Autori*. Sed jam *Scaliger* y) alterius id Parapegma, Ptolemaeoque antiquius esse asseruit. At vero, utut *præstantissimum* id judicet; doletaque<sup>z</sup>, *græcum textum perisse*; (prodiit enim tantum latine *Nicolao Leonico* interprete) imo *Salmasius* in exercitat. *Solinianis aureolum libellum* salutet: longe tamen de eo diversum est judicium *Riccioli*, z) cui *rhapsodia ex miscella variorum parapegmatum*, minime sibi congruentium; & Petavit, aa) cui *miscella tumultuaria ex variis parapegmatibus confelta*, ex qua nihil certi, bonique propter confusionem, & auctorum, locorumque tacita vocabula, harum rerum studiosus colligat, audit. Certe minime Ptolemae, Astronomorum principe, digna sunt, anticipati cardines, aut diversis diebus locati; quod posterius circa Cardinem vernum factum, Kal. Apr. X, VII, VI. Quis porro ferat Solis ingressum in pisces XV. Kal. Martii, appulsum ad medium eorum, VIII Iduum ejusdem, & transitum in Arietem XVII. Kal. Aprilium; spatio in prima medietate 21, in altera 9 dierum consumto: ut alia taceamus *εἰσέσατα καὶ εἰσύμφωνα*, quæ *Scaliger*, tam emunctæ naris homini, non suboluisse, utique mirandum est. Alia longe facies est alteri Hemerologio, sub titulo eodem a *Petavio* ex MSS. Codicibus Græce, cum latina versione edito. b b) In eodem *Æquinocti-*

x) *I. de nat. rerum*, c. 6.

y) in *Prolegom. de Em. Temp. p. IV.*

z) *Chronici Astronomorum Almagesto suo præmissi parte* z, tit. *Ptolemaeus*.

aa) *Uranologii*, cui insertum est, *Præf. ad Leid.* p. 2. *Gemina* huic loco habent ejusdem *Operis dissertationes* p. 78, 91, 96, 98 sq. Confer & *Notas* in alterum *Ptolemai libellum buju tituli*, p. 416, ubi defectus insignes hujus *Hemerologij* enumerat, eumque si *Ptolemai sit, non sincerum, sed interpolatum, & ex variis pannis consarcinatum conjicit*.

bb) Exhibit idem, præmittitque priori illi, sapientius citatum *Uranologiam*, ap. 71, ejusque rationes præclare commendat in *notis modo citatis*. Sed notandum ibidem est sphæmatica hypotheta, & pro die XXIII Phamenoth, legendum XXVI, uti textus haber; qui non numeros dierum mensibus Romanis, sed *Ægyptiis* competentes exprimit.

noctium vernum rite collocatum invenitur, ad diem Phamenoth XXVI,  
hoc est 22 Martii; prorsus uti fert observatio Ptolemaica, anno Christi  
140 habita, & supra ex *Almag.* seu *Syntaxis magna*, allegata. Viderit  
ergo *Noster*, quam arundineo scipioni hic innexus sit. Nihilo firmius  
est fulcrum, a syzygiarum Lunarium anticipatione, & Eclipsibus anno-  
rum Christi 346 & 1676 emendatum. Synodorum enim Lunarium an-  
ticipatio nullam in hac causa vim argumenti indipiscitur, nisi eodem  
præcise Eclipticæ loco fulserint: quod de adductis *Autor* evincere nun-  
quam poterit. Cum de sede prioris apud citatos *Autores* altum sit silen-  
tium; præterquam quod *Calvius* eandem in 14.43 Geminorum re-  
ponat, manifesto ab intentione & effato *Autoris* disilio: posteriori au-  
tem, *Ephemeridibus indicibus*, & ipsa *Autoris* confessione, 21 Geminorum  
competit: ex qua conditione horum phænomenon, Æquinoctiorum  
anticipatio non quinque, sed minimum 11 dierum consequitur. Quod  
si *Autori* calculus *Calvianus* sublestæ sit fidei: noverit nullas Astrono-  
morum hodiernorum Tabulas in loco Solis designando uno, nedum se-  
ptem aberrare gradibus. Sed & hoc celandum minime est, priorem Ecli-  
psin *Scaligero* cc. suspeçtam haberi propterea, *quod in sequentis anni d. 20 Oct. subsecuta sit alia*; eo que duarum harum Eclipsum intersticio 16 tantum  
Lunationes contigerint, intra quod tempus anomalia latitudinis non sit  
Ecliptica. Chus asserti quidem veritatem calculo explorare, ob defe-  
ctum Temporis jam non licet; circa Lunationum tamen numerum lapsum  
esse *Scaligerum* vix dubium est. Intervallum enim Eclipsum, inclusò die  
utriusque, est 502 dierum, qui per mensis Synodici Lunaris quantita-  
tem D. 27.H. 12. 44 divisi, quotum conficiunt 17 Lunationum. Utcunque  
autem se habeat censura *Scaligeriana*, satis nobis est, Autorem Syzygia-  
rum harum convenientiam circa locum Luminarium nec demonstrasse,  
nec demonstrare unquam posse.

Ex haçtenus autem disputatis B. Lectorem satis superque edoctum  
esse confidimus: *Autorem*, quod intendit, probasse minime; injuriaque  
Celeberrimos Astronomorum & Chronologorum circa doctrinam  
Æquinoctiorum intolerabilis ignorantiae reos peregisse; nec adeo cau-  
sam habuisse, cur Calendarij Juliani patrocinium his quidem ex ratioci-  
niis susciperet. Neque vero dubitamus eundem, ubi, quæ contra men-

tem ejus ex principiis Astronomiae, inconcusisque documentis aliis cognoverit, manus daturum, sententiaeque nulla probabilitate fulta, nemendum demonstratae, ultro renunciaturum.

Nos, qui jam fere consuetas Programmatis metas supergressi sumus, ad instituti nostri professionem revocat pauxillum, quod superest, paginarum. Nimirum institerunt apud nos, lapsis abhinc diebus, Juvenes Ornatisimi, Masis per hoc tempus in Alma haec Universitate operati: ut studii in addiscendis artibus liberalibus & Philosophia gnavoriter exhibiti, collata sibi laurea suprema Philosophica, publicum perhiberemus testimonium. Quorum honesto desiderio, ut prout decet, assurgere possumus, consuetis Examiniis agonibus exercitos, votis suis non impares deprehendimus. Eosdem ergo numero XXXVII, nominatim

- I. Augustum Gotthelff Graff/Freybergensem,
- II. Christianum Gottlob Pißschmann/Siegersdorffensem,
- III. Joh. Christianum Horn, Lipsiensem,
- IV. Johann Augustum Philippi, Lipsiensem,
- V. Joh. Georgium Nörner/Rochlicensem,
- VI. Davidem Andream Fritzsche/Pegaviensem,
- VII. Danielem Fiedler, Hohensteinensem,
- VIII. Joh. Christianum Sturm, Sceudicensem,
- IX. Christianum Lange/Gryphibergensem,
- X. Joh. Christianum Herzog, Oelsnensem,
- XI. Christophorum Samuelem Scherff/Krumpensem,
- XII. Godofredum Zeibig, Lauchstadiensem,
- XIII. Christianum Fridericum Börner, Dresdensem,
- XIV. Justum Siegfried Weber/Grimmensem,
- XV. Christianum Hübner, Zittaviensem,

XVI.

- XVI. Adamum Gottlieb Müller/ Leucopeträum,  
XVII. Gottlieb Sartorium, Dresdensem,  
XVIII. Joh. Matthæum Wagner/ Curiensem,  
XIX. Godofredum Seliger, Zittaviensem,  
XX. Godofredum Gottschling, Hirschbergensem,  
XXI. Samuelem Ungarum, Wolsteinensem,  
XXII. Henricum Casparum Haserödt / Mölhusinum,  
XXIII. Joh. Christianum Schumann, Cygneum,  
XXIV. Gottlieb Israel Musculum, Ositiensem,  
XXV. Georgium Conradum Frommann , Lipsiensem,  
XXVI. Sigismundum Henricum Kauderbach, Radebergensem,  
XXVII. Joh. Bartsch, Wratislaviensem,  
XXVIII. Eliam Salomon Gottschall/ Steinbacensem,  
XXIX. Petrum Giebelhausen / Welblebiensem,  
XXX. Dietericum Hermannum Kemmerich, Apenburgensem,  
XXXI. Michaelem Gottlieb Hanschium, Gedanensem,  
XXXII. Joh. Christophorum Martium , Beyersdorffensem,  
XXXIII. Christianum Stieff, Lignizensem,  
XXXIV. Joh. Ehrhart, Regio- Pontanum ,  
XXXV. Henricum Kahmann, Mindensem,  
XXXVI. Joh. Gottlieb Heineccium, Eisenbergensem,  
XXXVII. Laurentium David Völlhagen/ Stargardensem,

Quod felix faustumque sit, omnes & singulos, eo ordine, quo recenti sunt, quemque vel prior primæ laureæ adeptio, vel jus civitatis nostræ antiquius, unicuique confert, crastino σὺν Θεῷ die, finitis sacris matutinis.

nis, in Acroaterio Collegii Principum Majoris sistemus, Doctoresque, hoc  
est Magistros, Philosophiae publice pronunciabimus. Cui Panegyri, ut  
tanto sit celebratior, per honorificam Magnifici Academiæ Rectoris, Pro-  
cerum utriusque Reipublicæ, Nobilissimæque Studioſæ Juventutis præsen-  
tiam, enixis precibus exoratam cupimus. Nec seigniores nobiscum Can-  
didatos nostros in rependenda, pro facultate viribusque nostris, iis in hoc  
anno reparatae saluis M DCCIII.

Literis CHRISTIANI GOEZII.



179 C: 7

ADB

